



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1773

VD18 90118677

§. 90. Continuum in Hungaria bellum contra Turcas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

Sæcul. XVI.
A. C 1597.

petunt, Lilefeldam unacum magnifico Monasterio spoliant, Hyppolitopolitanæ urbi exercitum admovent, atque a civibus exclusi oppidum arctè cingunt: ast nocte intempesta Sarinius Comes cum selecto milite superveniens rusticorum castra tam ingenti metu replebat, ut hi longe majorem, quam re ipsa erat, Cæsarei militis numerum adventasse rati, fuga sibi consulerent: postea vero saniores poenitentia ducti ceteris Auctores erant, ut culpam suam detestantes Cæsaris clementiam implorarent, ac præcipuos seditionis incentores captos poenæ dederent. Ergo non pauci ab ipsis rusticis in vincula conjecti Cæsareis Belliducibus traduntur, quorum nonnulli instructis iudicii actis severas perfidiæ, ac crudelitatis suæ poenas luerunt.

§. XC.

Continuatum in Hungaria bellum contra Turcas.

Composito hoc rusticorum tumultu Cæsar ad bellum Turcis in Hungaria cum majori impetu, magisque certis successibus spe inferendum cuncta necessaria disponere satagebat, ac præprimis Sigismundus Battorio Transylvaniæ Principi, qui ad ipsum Pragam profectus erat, auxiliares copias præter

Struv. tom.
2. corp. Hist.
Period. 10.
sect. 7. §. 16.
Thu. l. c.
Palat. in vita Rudolphi.

N 3. pecu-

Sæcul. XVI.
A.C. 1597.

pecuniarum subsidia pollicitus est, ac praeriter nova militum supplementa a summo Pontifice, atque Imperii circulis submissa ad expeditionem Hungaricam destinabat: ineunte autem mense Maji Bernesteinius, & Palfus Tatham, seu Theodatam urbem recuperare meditantur, hancque in rem tres Hungaros linguæ turcicæ peritos præmittunt, qui Turcarum more vestiti se a Budensi Basia eo fine missos fingebant, ut præter annonam ab Achmete coemptam literas ad Tatanum Governatorem deferrent. Sub idem tempus Bernesteinius superveniens die duodecima Maji curram quo machina ad evertendos muros apta clam vehebatur, ad pontem usque propelli jubet, Turcis vero, quo consilio curram portæ admoverent, interrogantibus, Hungari responderunt, hoc Heiuducorum passim circumvagantium metu fieri; mox autem igne machinæ admoto ingenti fragore portæ diffiliunt, ponte pensili diruto: tum vero Cæsarei ad motis scalis mænia superant, alii ponte super fossam strato in urbem irrumpunt, moxque Turcæ inopino hoc casu perculsi post leve certamen huc illucque dilabuntur, potissimis eorum aut cæsis, aut captis, quos inter ipsemet Governator cum uxore sua, liberisque recensetur: Bernesteinius vero

Schwanduf.
Script. rer.
Hung. tom. 2.
p. 765.

vero valido milite arci imposito, actis-
 que Deo gratiis Pappam versus cum re-
 liquo exercitu contendit, ubi prope Po-
 fonium, & Altemburgum mense Julio, &
 Augusto circiter viginti quatuor bella-
 torum millia convenerant, Ductore Ma-
 ximiliano Austriæ Archiduce, cujus
 jussu Nadaftius, & Colonitius ad explo-
 randa itinera præmissi in ducentos Jani-
 scaros inciderunt, atque ex iis circiter
 quinquaginta trucidarunt, quibusdam
 captis, atque ad Maximilianum addu-
 ctis. Die decima tertia Augusti Pappa-
 næ urbis obsidioni initium dabatur non
 sine prospero expeditionis successu; urbs
 enim post octidui obsidionem feliciter
 expugnata est, Turcis ad arcem auffu-
 gientibus, in qua ducenti Christiani in
 vinculis detinebantur, quorum ut vitæ
 parceretur, obsessis indultum, ut inco-
 lumes urbe exirent, cum autem Turcæ
 avaritiæ, & invidiæ stimulis agitati non
 modo pretiosa quædam diriperent, sed
 etiam aureos nummos devorarent, hinc
 victores inde ansam cepere, ut eos spo-
 liarent, ac repugnantes occiderent, at-
 que in cæforum stomachis aurum per-
 scrutarentur. Præterea Rudolphus Cæ-
 sar Mehmetem Zerdarum Bassam, qui
 Vaciam a cæsareo exercitu derelictam
 occupaverat, sæpius a Maximiliano vi-
 ctum, & profligatum, ad petendam pacem
 compellebat.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1597.

N 4 §. XC.